QUÆSTIO MEDICA,

Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ septimâ Februarii 1710.

M. LUDOVICO LEMERY, Doctore Medico, Pharmaciæ Professore, necnon è Regiâ Scientiarum Academiâ, Præside.

An Morbus, ipsaque Sanitas à Fermentatione?

I

NATURAM nescit, qui nescit fermentationem; pleraque in macrocosmo & microcosmo illius ope peraguntur: ejus auxilio innumera corpora suis formis spoliantur, novas induunt. Fermentatione acidum quoddam in utero terræ societatem cum metallo, terrâ, bitumine init; Chalcantum, alumen, sulphur procreat. Neque tantùm in mineralium & metallorum, verùm etiam in vegetabilium & animalium regno se prodit: eorum succos alterat; motu fermentationis, v. g. uvæ ex austeris, acerbis, & acidis maturescendo dulces & gratæ palato fiunt. Eodem motu fructus putrefiunt, & grato sapore orbantur. Si igitur, ut suspicari fas est, fermentatio succos animalium, æquè ac vegetabilium in bonam & malam partem mutet, ea tanquam primaria sanitatis & morborum parens consideranda venit. Instrumenta quibus hæc utitur, sulphur, sal, aqua & terra audiunt. Sulphur solum tibi sit principium activum, luminis materies, igneaque substantia. Aliis motum impertiendo, illa volatilia efficit. Hoc certâ quantitate variis mixtis irretito exurgit corpus flammam concipere idoneum, ut sunt adipes, olea, resinæ, &c. quæ analysi in salem, terram, aquam, & substantiam tenuitate suâ per poros & meatus vasorum avolantem, resolvuntur. Ejus fugâ multùm de materiæ superstitis pondere detrahitur. Solam hanc substantiam tenuem, sulphureum principium habe, nec usquam alibi genuinas sulphuris dotes investiga. Sal & aqua principia media meritò dicuntur, quòd ad motum sint minùs apta. Unicum principium salinum, acidum, corpus est partibus rigidis & aculeatis instructum, saporum origo. Salia concreta ut nitrum, salia fixa & volatilia, ne putes principia, verùm ex terrâ aut metallo, partibus oleosis & acido conflata. Acidum salis proprietates ejusmodi mixtis conciliat, eaque ab aliis discriminat. Aqua partibus lubricis constat, salia solvit, motus ejus fluidi actioni materiæ luminis acceptus refertur: quâ proportione hæc materies avolat, eâdem de motu fluidi aqua deperdit. Unum principium passivum, scilicèt terra, partibus crassis & ad motum minimè idoneis constans, undè fit, ut igneæ substantiæ impulsioni difficiliùs cedat; acida absorbet, & in mixtis aliorum principiorum est quasi diversorium.

I I.

ADEST fermentatio, cùm diversa principia coire nituntur, ut videre est, ubi acidum oleo, sale alcali, terrâ affunditur, vel cùm principia jam sociata, & in se invicem intricata separari affectant, ut simpliciora fiant ac liberiora, tumque singula majori vi proprium effectum sortiuntur; ut accidit in plurium mixtorum fermentatione, quæ analyseos species haud ineptè vocitatur. In utrâque fermentationis specie principiis, vel ut coeant, vel ut disjungantur, resistentia superanda est; idcircò maximo cum impetu moventur, simùlque liquoris partes exagitant, undè intumescit, aliquandòque incalescit. Sæpè etiam principia lenem fermentationem concipiunt, hinc vix aut nullatenùs in liquore deprehenditur motus. Fermentatio igitùr motus est principiorum in-

ceſtinus, quò tendunt, vel ut ſocientur, vel ut ſeparentur, quòve corpus in aliud mutatur. Quidam hanc ab effervefcentiâ (quæ eſt motus partium integrantium abſque ullâ corporis mutatione) immeritò non diſtingunt: aqua enim igni impoſita effervefcit, ebullitque, malè tamèn fermenteſcere diceretur, utpotè cùm motu effervefcentiæ peracto eadem remaneat. Ineptiret ille qui haſce naturæ obſervationes, fermentationiſque differentias Medico inutiles, ut quæ ſuæ ſunt artis ritè peragat, affirmaret, curioſæque ſolummodò mentis fœtum arbitraretur. Si enim à fermentatione, humorum firma aut infirma conſtitutio ortum ducat, ideòque ab eâ ſanitas & morbi ſcaturiant, quantâ curâ ei indagandæ incumbere debet Medicus, ut faciliori negotio naturalem & laudabilem foveat, præternaturalem verò vitioſamque emendet. Noli exiſtimare fermentationes, quæ in mineralibus & vegetabilibus contingunt, modo longè diverſo fieri ab iis quæ in animalibus conſpiciuntur. Singula hæc corpora principiis eſſentialitèr iiſdem, diſpoſitione tantùm ac ſitu diſcrepantibus conflantur; undè variæ, quæ in iis ſe manifeſtant, fermentationes ſecundùm magìs & minùs ſolummodò diſcriminantur. Natura miræ ſimplicitati ſuis in operibus ſtudet, effectuum prodiga, cauſarum parca eſt. Nè ſentias tamèn cum quibuſdam Chymiſtis, qui ſolo catillo univerſas corporis functiones explanare non dubitant; quique Chymicæ operationis cum iiſdem functionibus minimæ ſimilitudini ſerviunt. Neque minùs errant ii, qui arti Chymicæ ità adverſantur, ut eam ad functionum intelligentiam nullius utilitatis eſſe clamitent. Medici intereſt ut naturam calleat, eam ubique explorare; in quibuſdam mixtis motus fermentationis manifeſtiùs patet, tunc attento animo in iis illam perpendat, aſſiduè ſcrutetur, ejus inceſſus ſubſequatur diligentiùs, his cognitis modus, quo functiones fiunt ac læduntur, eum non latebit.

III.

QUI morbum cognoſcere, eumque depellere ſatagit, quò ſtet ſanitas teneat, ut non ignotâ humorum conſtitutione ad functiones fovendas neceſſariâ, eos à rectâ viâ deflectentes ad naturalem laudabilemque ſtatum reducere faciliùs valeat. Tritum ad liquorum perfectionem maximi momenti puta. Hic ope ſolidorum abſolvitur. Initium ſumit in ore, in quo alimenta dentibus comminuta, ſuccoque è glandulis ſalivalibus ſtillante diluta, primùm elaborantur. Hæc etiam tritura in ventriculo, inteſtinis, vaſis lacteis, ductu thoracico peragitur. Cor tandèm & vaſa ſanguifera torcularium inſtar, liquorum partes magìs ac magìs attenuant atque conterunt. Natura totis viribus ejuſmodi trituræ conſervandæ, & ubique continuandæ invigilaſſe videtur: nec immeritò, quî enim abſque ſalutari trituræ effectu craſſiores ſuccorum partes, coagulationique maximè idoneæ minutiſſima vaſorum capillarium oſcula ingrederentur? Quî ſtaret ſanguinis circuitus, abſolverentur ſecretiones, fieret partium nutritio, cæteræque functiones perficerentur? Hìnc patet quot ex trituræ defectu mala ſuboriantur: quibus ſuccurres, ſi augeatur vis malleorum, aut ſi fluida fluidiora fiant & ductiliora, aliquandò etiàm ſi humores qui vaſa obruunt, mittantur. Hâc ratione ſolida inter & fluida æquilibrium reſtituitur, undè functionum integritas. Medicus ergò trituram attentè meditetur, ut remedia tutiùs decernat. Nè tamèn calculum tuum adjicias iis, qui novitatis quàm ſatìs eſt avidiores, ipſam tanquàm ſuccorum elaborationis unicam cauſam reſpiciunt. Incipit enim tantùm quod fermentatio felicitèr abſolvit. Hæc liquoribus manum extremam admovet, ſequiturque tritum, qui ex ſe ad humorum perfectionem par non eſt. Triturâ enim partes alimentorum integrantes tantummodò conteruntur & attenuantur, principia verò eodem ſitu ſemper gaudent. Quod innoteſcit tartaro in tenuiſſimum pulverem redacto, eadem eſt enim antè tritum & poſt tritum tartari principiorum compoſitio: eædem ſubſtantiæ ex utroque per analyſim extrahuntur; diverſæ autèm, ſi tartaro trito motus fermentationis ſuperveniat; quippè fermentatio agit in principia, quod trituræ aſſequi non conceditur. Non abſimili

modo res in nostris humoribus peragitur, præter partium integrantium trituram principia ope fermentationis novam omninò adipiscuntur modificationem. Hoc in dubium revocas? Partes animalium plantis vescentium cum iisdem plantis compares velim; analysi eæ plantæ acidum, aliquandò sal volatile, & semper multum salis fixi exhibent; partes verò animalium tàm solidæ quàm fluidæ, excrementa etiàm sæpè sæpiùs nullum acidum, multum salis volatilis, parum salis fixi suppeditant. Hanc substantiarum varietatem sola fermentatio efficere potuit. Ejus beneficio plantarum acidum partibus ramosis penitùs intricatum, sensum aciditatis excitare non ampliùs valet; vi illius salia fixa maximam terræ (undè eorum fixitas) partem deponunt, subeuntque substantias oleosas, undè volatilia efficiuntur. Fermentationem deniquè nostris humoribus necessariò inesse, eisque ultimam perfectionem conciliare experientia demonstrat. Ubi enim alimenta, quibus quotidiè vescimur, contrita & aquâ imprægnata in loco calido reconduntur, sponte fermentescunt, nec possunt non fermentescere: quidni eadem alimenta in ventriculo, in quo calor & liquor non desunt, fermentescerent? quidni latici sanguineo mixta motum intestinum servarent? utpotè cùm eorum partes ità tunc alterentur, ut sal, quod in alimentis erat fixum, in sanguine evadat volatile. Sola tritura tantum prodigii genus perpetrare nequit.

IV.

SANITATEM in medio positam esse meritò apud Medicos receptum. Quidquid enim vitam & sanitatem fovet ac tuetur, omnis excessûs debet esse expers. Fermentatio, v. g. liquores propriâ naturalique constitutione non donat, nisi quatenùs lenis est, pacata, & intrà mediocritatis limites continetur. Si verò ab eo statu plùs aut minùs deflectat, varia indè exoriantur mala necessum est: undè liquidò constat unam esse fermentationem sanitatis parentem, plures autem morbificas; aut potiùs unam ad sanitatem, plures ad morbum patere vias. Turpitèr ergò hallucinantur, qui naturales corporis operationes furibundis Chymiæ operationibus assimilant, quique ciborum in ventriculo solutionem menstruo aquæ forti ferè analogo fieri contendunt. Sed scopum digito tangunt, qui blandis Chymicorum digestionibus naturales humorum elaborationes comparant. Cùm enim liquidis aliquâ de causâ principiorum motus accidit quàm par est violentior, subitò rarefiunt, calorem acrem excitant, in partes solidas vi maximâ impingunt, easque præter modum distendunt. Res ulteriùs protrahitur. Si enim id temporis fermentatione quam *analyticam* vocamus, jactentur succorum principia, nimiùm evolvuntur; undè morborum ilias. Sales quippe sui juris facti solida pungunt, irritant, lacessunt; partes etiam balsamicæ & spirituosæ, vinculis solutæ avolant, superstite tantùm capite mortuo, obstructiones parere, & sanguinis circuitum sistere apto. Deniquè nimiâ partium subtiliorum & balsamicarum fugâ aliquandò ità depauperatur sanguineus latex, ut solidorum nutritioni, functionibusque obeundis fiat ineptus, ac missus non consistat, sed solutus videatur. Tale signum pessimi ominis est, penitùs enim eversam sanguinis crasim indicat. Neque solùm à fermentatione *analyticâ*, sed etiam ab eâ, quam *syntheticam* appellamus, oriuntur morbi: nonnunquam malignæ succis commiscentur particulæ, quibus nativa eorum constitutio pervertitur; quod videre est, ubi corrupta bilis, materies purulenta, sudor, lympha acida, &c. in molem sanguineam refluunt. Causa etiam hujus fermentationis vitiatæ non rarò in alimentis & aëre reperitur. Hinc morborum Epidemiorum repetenda ratio.

V.

EX dictis liquet varias, quæ liquoribus, tùm in morbo, tùm in sanitate, occurrunt alterationes, positâ fermentatone intelligi, sublatâ verò non item. Hæc in statu sano exteriùs vix patefit, utpotè lenis, pacata & insensilis. Idcircò quidam tunc eam omninò inficiantur. Sed erras, si fermentationis existentiam ex ejusmodi signis exterioribus, po-

tiùs quàm ex mutatione inteſtinâ, quam corpus peractâ hâcce operatione licè inſenſibiliter expertum eſt, colligas. Fructuum, v. g. corruptio, multæque digeſtiones, quæ Chymicâ arte abſolvuntur, totidem ſunt fermentationes. Hæ tamèn abſque manifeſto fermenteſcentis materiæ motu ut plurimùm peraguntur, earumque actio duntaxàt diſtinguitur & agnoſcitur ex alteratione, quam corpori conciliarunt, quæve proprium facit fermentationis characterem. In morbis verò nulla ferè ſunt ſymptomata, quæ apertam oculis fermentationem non ſubjiciant: febris, v. g. omnium fermè morborum comes, vera eſt fermentatio; rigor & horror, qui febrium intermittentium paroxiſmos antecedunt, à fermentatione *ſyntheticâ*, ut calor qui eos ſubſequitur, ab *analyticâ*, ſcaturiunt. In priori ſtatu ſucci crudi, indigeſti, & acidi ſanguini miſcentur; ejus partes balſamicas & ſpirituoſas obruunt, atque irretiunt: ſolida ſuo acore vellicant, horroremque pariunt. In poſteriori autem partes ſanguinis ſpirituoſæ à craſſioribus & noxiis ſeſe extricantes, calorem reſtituunt, qui eò fit acrior, quò magìs evolvuntur. Hæ tandèm ſui juris omninò factæ, quidquid earum motui obſiſtebat, foràs eliminant. Hinc ſudorum, qui paroxiſmis finem imponunt, origo. Idem dicendum de variolis; ortum ſuum ſanguinis materiam heterogeneam foràs propellentis fermentationi acceptum referunt. Hujus imaginem petis? in muſtum fermenteſcens oculos conjice? tunc activæ & ſpirituoſæ illius partes à craſſis & tartareis, quibuſcum ſociabantur, ſe expediunt, eaſque in fundum & latera dolii deturbant. Quidni etiam variolarum materies purpurei laticis tartarum vocitabitur? Cùm muſtum fermentatione fæces craſſiores à ſe quaquaversùm ſufficienti quantitate dimiſit, generoſum fit, & ſi ſic loqui fas eſt, benè valet. Non abſimili modo ſanguis noxiis & acrioribus particulis ſpoliatus, firmiorem ſubindè, diuturnioremque efficit valetudinem. Sed ut eâdem comparatione ſempèr utamur, muſtum ſufficienter primâ vice non defæcatum, aut novam fermentationem nanciſcitur, donec omnes depoſuerit fæculentias, aux eximias vini dotes nunquam adipiſcitur, aut acorem citiùs contrahit. Simili ritu purpureus latex in variolis fermento crudo ac indigeſto, ut par eſt, non purgatus, eandem rursùs ægritudinem aut infirmam valetudinem facit. Cùm tandèm natura debilior eſt, ut peſtiferum hoc venenum foràs amandare, aut ſaltèm contra ejus malitiam propugnare valeat, ab eo penitùs obruitur, perversâque funditùs ſanguinis craſi fatiſcit, morſque accerſitur.

Ergò Morbus, ipſaque Sanitas à Fermentatione.

Domini Doctores diſputaturi.

M. Carolus Thuillier.
M. Carolus Bompart.
M. Nicolaus Andry, Profeſſor Regius.

M. Claudius du Frêſne.
M. Philippus Hecquet.
M. Joannes-Baptiſta Chomel, Conſiliarius & Medicus Regis ordinarius, Regiæ Scientiarum Academiæ Socius, & rei Herbariæ Profeſſor.

M. Guido-Eraſmus Enmerez.
M. Franciſcus Maillard.
M. Petrus-Paulus Guyard, Regii Militatorum Noſocomii Medicus ordinarius.

Proponebat Pariſiis ÆGIDIUS ADAM, Conſtantienſis, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1710.

Typis Viduæ Franciſci Muguet, Regis & Facult. Medicinæ Typographi.